Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 743

Quelle:
Copyright:

mus?) *cui niſi regibus regnantibus ſupplicemus ignoramus. Clamat uos ſiquidem ieruſalem. inuitat uos bethlehem. ut de poteſtate paganorum eas liberetis. Cui enim inputabitur. a quo niſi a principibus totius orbis requiretur. ſi loca ſancta a barbaris poſſideantur. Ad hoc enim deus duos gladios in terra ſtatuit. ſummum uidelicet pontificem. et reges regnantes. ut quod ſpiritualiter nequit refrenari. enſe uindice ſaltem ulciſcatur. Exeat ergo gladius ueſter et dominetur ubique terrarum. et que aliorum imbecillitate amiſſa ſunt. potentia uirtutis ueſtre reſtaurentur. Feſtinate ergo chriſtianiſſime rex. et ne tardetis. ſed in proximo menſe aprili uenire. uel aliquos mittere procuretis. ut ciuitates amiſſę aduerſus uos nequeant uallari. immo barbaras domando nationes. amiſſas recuperare. et quas diu poſſederunt breui tempore ditioni ueſtrę ualeatis adiungere. Belam* et *Venetos excidio terrae ſanctae compunctos* hoc anno *treguas usque ad biennium peregiſſe*, tradit *Dandulus Chron.* L. X. c. 2. Quin priorem voti religione ad ſacrum ſe bellum obſtrinxiſſe, dum graviter decumberet, ſed eius ſolvendi provinciam, quod rebus domeſticis impediretur, in filium *Andream* tranſtuliſſe, pluribus exequitur *Steph. Katona Hiſt. Crit. Hung.* T. IV. in Vita *Belae*, et *Emerici* n. 586.

IV. *fol.* 30: Epiſtola *Boemundi* III. Principis *Antiochiae* data an. 1188. *Guilelmum Tyri* Archiepiſcopum hoc anno ad conciliandos fractis Chriſtianorum in Oriente rebus Principum animos in Europam miſſum omnes meminere, qui de *Bellis* dictis *ſacris* pertractant; Literas vero ejus ad Clerum, vulgo *Credentiales*, nemo, quod ſciam, recitat. En illas. *Omnibus ſancte matris eccleſię filiis. primatibus. archiepiſcopis. epiſcopis. abbatibus. prepoſitis. archipresbiteris. archidiac. capellanis. uniuerſoque populo dei. ad quos preſens preſentari contigerit inſtrumentum. B. princeps antiocenus. ſalutem et ſalutis incrementum. cum proſperitatis habundantia. Anxius loquor. meſtus ſcribo. et ueſtrę uniuerſitati longa ſuſpiria. merores. anguſtias. licet preſumens inſynuo. et ſcribendo deficiens replico meſtitias et dolores. Quis enim uidit talia. Vię lugent ſyon. eo quod non ſit qui ueniat ad ſollempnitatem. Chriſtianis ſiquidem cum Saladino confligentibus* (an. 1187. 3 — 5. Jul.) *uires noſtre defecerunt. ceciderunt templarii. hoſpitalares corruerunt. rex* (Guido) *anxiatur in carcere. uexillum crucis dominicę. immo crux ipſa dominica* (a Rufino Ptolemaidis Ep. in praelio geſtata) *retinetur apud hoſtes. Omnes fere defecerunt. remanſi tamen ego ſolus dei fauente miſericordia. ut que facta ſunt ueſtrę nunciarem uniuerſitati. Obſeſſum eſt ſaluatoris noſtri ſepulchrum. et eius natiuitas eſt derelicta. expugnata eſt aſcalon. et in eius campeſtribus non inuenitur habitator chriſtianus. Nazareht a turcis occupatur. in domo uirginis. in ipſo annunciationis loco chriſtianus ſanguis fuſus eſt. et in eccleſia*

glo-